

Zwischenprüfung
Institut für Klassische Altertumskunde
CAU Kiel
Kandidaten:

A. Übersetzung

Atque in ea re omnium nostrorum intentis animis alia ex parte oppidi Adiatuanus, qui summam imperii tenebat, cum DC devotis, quos Galli soldurios (keltisch: Getreue) appellant, quorum haec est condicio ut omnibus in vita commodis una cum iis fruantur quorum se amicitiae dederint, si quid his per vim accidat, aut eundem casum una ferant aut sibi mortem consciscant neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam qui eo interfecto, cuius se amicitiae devovisset, mortem recusaret, cum his Adiatuanus eruptionem facere conatus clamore ab ea parte munitionis sublato cum ad arma milites concurrissent vehementerque ibi pugnatum esset, repulsus in oppidum tamen uti eadem deditiois condicione uteretur a Crasso impetravit.

Armis obsidibusque acceptis Crassus in fines Vocatium et Tarusatium profectus est. tum vero barbari commoti, quod oppidum et natura loci et manu munitum paucis diebus, quibus eo ventum erat, expugnatum cognoverant, legatos quoqueversus dimittere, coniurare, obsides inter se dare, copias parare coeperunt. mittuntur etiam ad eas civitates legati quae sunt citerioris Hispaniae finitimae Aquitaniae; inde auxilia ducesque arcessuntur. quorum adventu magna cum auctoritate et magna cum hominum multitudine bellum gerere conantur. duces vero ii deliguntur, qui una cum Q. Sertorio omnes annos fuerant summamque scientiam rei militaris habere existimabantur. hi consuetudine populi Romani loca capere, castra munire, commeatibus nostros intercludere instituunt. quod ubi Crassus animadvertit suas copias propter exiguitatem non facile diduci, hostem et vagari et vias obsidere et castris satis praesidii relinquere, ob eam causam minus commode frumentum commeatumque sibi supportari, in dies hostium numerum augeri, non cunctandum existimavit quin pugna

decertaret. hac re ad consilium delata ubi omnes idem sentire intellexit, posterum diem pugnae constituit.

Prima luce productis omnibus copiis, duplici acie instituta, auxiliis in mediam aciem coniectis, quid hostes consilii caperent exspectabat. illi etsi propter multitudinem et veterem belli gloriam paucitatemque nostrorum se tuto dimicaturos existimabant, tamen tutius esse arbitrabantur obsessis viis commeatu intercluso sine ullo vulnere victoria potiri, et si propter inopiam rei frumentariae Romani se recipere coepissent, impeditos in agmine et sub sarcinis adoriri cogitabant. hoc consilio probato a ducibus productis Romanorum copiis sese castris tenebant. hac re perspecta Crassus, cum sua cunctatione atque opinione timoris hostes nostros milites alacriores ad pugnandum effecissent atque omnium voces audirentur exspectari diutius non oportere quin ad castra iretur, cohortatus suos omnibus cupientibus ad hostium castra contendit.

B. Aufgabenteil

I. Fragen zum Text

1. Aus welchem Werk stammt der Text? Wie heißt der Autor?
2. Nennen Sie die Lebensdaten des Autors!
3. Nennen Sie weitere Werke des Autors!
4. Welcher Akkusativ ist *omnes annos* (S. 1, Zeile 16)
5. Wie erklärt sich das *quin* (S.1, letzte Zeile)?
6. Wer ist Q. Sertorius?